FEBRIUM NERVOSARUM

INDE AB A. 1827—1838 BONNAE

OBSERVATARUM DESCRIPTIO BREVIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA

QUAM

EX AUCTORITATE ET CONSENSU ILLUSTRIS
MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE REGIA
FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDUM

SCRIPSIT

ET DIE XIX. M. AUGUSTI A. MDCCCXXXIX

PUBLICE DEFENDET

IULIUS WOLFF,

BONNENSIS.

OPPONENTIBUS:

ADOLPH HERR, med. et chir. cand.
ANT. MAX. SCHAFFRATH, med. et chir. cand.
ANT. WILLEMS, med. et chir. cand.

BONNAE,

TYPIS CAROLI GEORGII.

MDCCCXXXIX.

AVUNCULO DILECTISSIMO

GEORGIO MARX,

MERCATORI BONNENSI

PATRUO CARISSIMO

HENRICO WOLFF,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI BONNENSI

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Multae quidem sunt eaeque accuratissimae febris nervosae, qualis epidemica variis locis se exhibuerit, descriptiones; sed fere nulla est, quantum ego scio, in qua species istius morbi in eodem loco tum epidemice tum sporadice apparentis per continuam annorum seriem depingatur. Nec sane eum, qui quae ab variis varie de morbo hoc vulgatissimo scripta cum iis, quae ipse observavit, contulerit, latere potest, quanta sit de natura et curatione morbi hominum peritissimorum dissensio. Cuius rei causa in eo potissimum mihi posita videtur, quod, qui hanc febrem descripsere, non satis distinxerunt, quae morbi simplicis propria symptomata, quae complicationes morbi sint; denique quae ex loco et ex morborum charactere universali oriantur. Id vero cum non ex singulae epidemiae descriptione, sed ex sola formarum comparatione, quales morbus in eadem regione per complures deinceps annos praebet, depromendum mihi videatur, haud prorsus inutile duxi, hunc ad finem tum ex diariis clinici medici, quae vir illustrissimus Fr. Nasse,

praeceptor meus summopere reverendus, summa humanitate inspicienda mihi permisit, tum ex adversariis patrui mei dilectissimi, Henrici Wolff, largum thesaurum historiarum ad hunc morbum pertinentium suppeditantibus, variarum febris nervosae formarum, quae ultimis annis in urbe nostra exstiterunt, non eminentem effigiem, sed adumbratam imaginem expressam proponere.

Variae febris nervosae formae, quae inde ab anno 1827 usque ad annum 1838 Bonnae observatae sunt, breviter descriptae.

1827 et 1828.

Constitutio stationaria ex longo tempore imflammatoria. Per hiemem 1826 et 27 gelidam scarlatina et pertussis, quas verno tempore febres intermittentes benignae, simul febres gastricae et rheumaticae sequebantur. Accedebant hisce inflammationes mucosae intestinorum protractae et fine Aprilis 1827 cum febre nervosa complicatae. In aestatis calore inflammationes merae cedebant febribus gastricis biliosisque; hae vero autumno cum bronchiorum catarrhali aut inflammatoria affectione complicatae, rheumatismis interim frequenter exorientibus, mox ab ipsa bronchitide victae sunt. Cholera et dysenteria rarius obvenerunt; intermittentes frequenter observabantur. Mense pluvioso Ianuario 1828 apparebant iterum plures nervosae indolis febres, sese protrahentes usque in Februarium, quo mense exquisitiores inflammationes redibant. Simul febres rheumaticae frequentiores factae, mense Aprili in locum febrium catarrhalium cedebant, quibus variola se adiunxit. Mense Augusto febres gastricae et catarrhales praevalebant, quae Octobre nonnunquam febris nervosae speciem induerunt, hoc tamen ipso mense et magis adhuc Novembre febribus rheumaticis et anginis locum cesserunt. Exinde usque in aestatem 1829 fere nulli casus typhosi observabantur.

Aegroti ab initio vertiginem, lassitudinem, animique obnebulationem querebantur, saepe quoque cephalaeam; somnus interruptus, inquietus, in quo saepe mussitant; facies aut rubra aut lurida, ac quasi terrea; pulsus plerumque magnus, nonnunquam ad dicrotum propius accedebat, raro magna frequentia; erant quibus solito tardior micaret, mollis, raro durior et contracto similis; lingua interdum pura, saltem in apice et marginibus; in medio saepe muco albo aut fusco obtecta; cutis sicca; interdum sudor partialis aut universalis, aquosus, nil levans. Urina plerumque ruberrima, interdum pallidior, constanter limpida. De abdominis dolore nunquam sponte querebantur aegroti, quem tamen premendo cardiam et hypochondrium dextrum et utramque fossam iliacam manifestabant. Alvus plerumque tarda, interdum laxa, faeculenta, et cum aliquo tenesmo demissa. Tussis rarior. — Nonnullos hoc tempore faucium erysipelatosa phlogosis tentabat; aut pedum erysipelas morbum anteibat. Interdum cruenta alvi deiectio. Plures petechiis obnoxii; utrumque tamen, quin morbus inde ingravesceret aut levaretur.

Morbo crescente, viribus celeriter decrescentibus, aegroti se in lecto erigere non possunt. Quieti iacent, ad pedes delabuntur; aut inquieti huc illuc se iactant; somniculosi compellati recte quidem sed tarde respondere solent. Obtutus oculorum stupidus, tanquam ebrii hominis; oculi vitrei, rubicundi, saepe lacrimantes; auditus gravis, sublatus. Loquela impedita, interdum nulla. Respiratio admodum laesa, celerior, spastica, interdum tussiculosa. Pulsus variabilis, vacuus, undulans, mollis nec adeo frequens, aut contractus, frequens et celer, modo inaequalis tanquam intermissurus, modo dicrotus. Lingua fusca, arida, modo cornea, fissa, modo pura et carni crudae similis, vix et tremula tantum aut plane non potest protendi. Dentes et labra squalido glutine obducuntur; siccescunt nares; maior sitis calorque

cutis. Urina clara, rubicunda, nonnunquam nubeculam in imo habet; aut iumentosa, et in subsidendo sedimentum subrubrum aut albidum aut furfuraceum exoritur. Abdomen magis tensum, paululum inflatum; dolor sub pressu gravior quam antea, magisque diffusus; alvus plerumque obturata; deiectiones clysmatibus ductae erant normales. — Febris continua remittens meridiem versus exacerbari, ad vesperam aut noctu prodeunte sudore remittere, et altera die ad meridiem usque comparente in urina sedimento mitius infestare solebat.

Haec symptomata, acme morbi, per dies multos continuari solent. Decedentis morbi nullus est terminus. Raro ante diem septimum, plerumque versus finem secundae aut tertiae hebdomadis morbus frangitur aut ad mortem festinat.

Ubi in salutem terminatur, nulla crisis solemnis, sed sensim morbus decrescit. Deliria, sopor, respirationis difficultas cum abdominis dolore remittunt; redit somnus quietus et loquela; gravis auditus plerumque tardius evanescit; madescit lingua simulque fusca pituita primum quidem a margine resolvitur, sed plerumque febris impetu ingravescente rursus arescit; sitis minor; cutis sub minori aestu nunc madet, nunc aret, prout febris remittit aut crescit. Urina pallida sedimentum deponit. Interdum alvus cum emolumento fluere incipit, in plurimis autem nunc quoque tarda. — Convulsiva tussis cum dyspnoea et sputo crudo, aquoso et tenaci, latentis in pectore incendii testimonium, nonnullis supervenit, interdum sub finem morbi sanitatem retardat. — Semel parotidis dextrae inflammatio et abscessus cum felici successu sequebatur. — Haud raro pustulae, tanquam ex illito unguento e tartaro stibiato in pectore et abdomine exortae. — Saepe epistaxis multis bene accedere solebat.

Crises per sudorem et urinam in omnibus quidem, sed intercisae nec sufficientes contingebant. Quavis fere ves-

pera sudor praecipue ad caput provenit. In nonnullis, hisce crisibus quamvis obortis et per aliquod tempus continuatis, morbus diutius persistens hecticam fere indolem assumebat, per plures adeo menses cum summa macie, pauca febre, sudoribus nocturnis profusis, et foetido alvi fluxu procedebat, ex quibus angustiis plurimi sola naturae ope feliciter evaserunt.

Quodsi morbus ad letalem exitum properabat, deliriis et sopore in diem adauctis, viribus nunc pedetentim, nunc celerrimo passu aegroti privabantur; faeces et urinam inscii emittebant; tendinibus subsilientibus floccos capiebant, artubusque tremebant. Respiratio stertorosa; pulsus frequentissimus, exilis, vacillans, inaequalis. Lingua aridissima, nigra, glutinosa, motu fere privata. Cutis ardens; sudores largi, glutinosi; urina cruda, pallida, iumentosa; abdomen pressum modo absque dolore, in aliis meteorismo inflatum, attactum vel leviorem respuens. Decubitus gangraenosus. Nonnunquam accedebant dysphagia, trismus, letalis epistaxis, et praeviis convulsionibus mors ingruit. Alii viribus paulatim exuti, in continuo sopore diem supremum obiere. —

Praeterea apparuere nonnunquam symptomata inflammationis abdominalis; dolor abdominis fortior; pulsus initio morbi magis durus, viribus plerumque minus prostratis; lingua minus sicca; sitis acerrima; urina flammea. Mox tamen sopito per artem inflammationis impetu, febris consueto ordine procurrebat. — Interdum febris erat inflammatoria. Alias febris gastricae, nonnunquam biliosae speciem morbus induebat; os amarum; lingua a principio muco tenaci densoque obtecta; nausea, abdominis tensio cum obscuro dolore; quae tamen febris species emeticis fere semper nisi cum damno tractabatur.

Sectio. Praecipue ulcera in villosa intestinorum, praesertim in ileo, ubi coeco se iungit. Varia ulcerum stadia in variis reperiebantur, eiusdem intestini locis. Membrana mu-

cosa iusto rubicundior sensim in locis distinctis, circumscriptis crassa magis et laxa evadebat, ut quasi fungosam indolem assumeret. In medio harum excrescentiarum sensim foveola evolvebatur, pure repleta, quae mox excrescentiam excavans, et magis magisque dilatata, ulcus existebat. Ulceris adulti margines quasi callosi observabantur; ipsum autem fundo inaequali, exeso, marginibusque laceris instructum ad pollicis adeo unius et dimidii longitudinem, et unius latitudinem diffundebatur. Fundus nunquam serosam attingebat.

Glandulae meseraicae fere constanter tumuere. —

Pulmo aliquoties sanguine infarctus; structura illaesa. Mucosa bronchiorum sanguine iniecta, mollior.

In cavo cranii saepe sanguinis in vasis cerebri congestio.

Cura. Fere semper detractiones sanguinis erant adhibendae; nonnunquam universales, et quidem cum successu initio morbi, ubi tum aegroti robusta, tum temporum inflammatoria constitutio venae sectionem largiorem poscebat; semper locales. Interne sufficiebant remedia involventia, clysmata emollientia, emulsio arabica et cum opio. Detracto sanguine vesicantia abdomini imposita, et dum pustulae existerent, unguentum e tartaro stibiato abdomini illitum. Sub finem morbi tonica, china cum rheo. — Ex emeticis aut laxantibus salinis nullus effectus salutaris. — Tartari stibiati refracta dosis et calomelas parum profuerunt. Arnica, valeriana, camphora nunquam fere aegrotantes iuverunt; quin ab initio morbi semper nocuerunt.

Omnino profuit maxime lenior antiphlogosis et methodus negativa. *)

*) Cfr. Lossen Diss. de febri nervosa sporadica, inflammatione tunicae villosae intestinorum coniuncta, anno 1827 et initio 1828 in agro Bonnensi observata. Bonnae 1828.

1829.

Inde ab initio huius anni character morborum inflammatorius fuit. Pneumoniae, anginae, et membranarum serosarum inflammationes frequentes occurrebant. Hisce verno tempore febres rheumaticae se iungebant. Saepe ascites ex conditione subinflammatoria peritonaei exortus observabatur. Mense Iulio febres gastricae et phlegmhymenitis enterica apparebant, quibus mense Augusto febris nervosa succedebat. Character morbi hoc mense, praecipue autem sequenti, inflammatorio nervosus factus, Octobre in rheumatico-inflammatorium transibat; Novembre iterum mere inflammatorius; sequenti mense febres rheumaticae et pneumoniae revertĕbantur.

Morbum ingredientem indicabant horror, lassitudo totius corporis, dedolatio membrorum, cephalaea et vertigo. Saepe dolores pungentes vagi, modo in pectore, modo in brachiis vel in dorso accedebant. Plerisque simul sensus tensionis et oppressionis in hypochondriis aut in epigastrio obvenit. Alvus fere omnibus pertinaciter obstructa, clysmatibus vix ducenda; erant quibus antea diarrhoea laborantibus iam morbo hocce irruente constipata alvus exoriretur. Interdum alvus normalis; raro ab initio laxa; nonnunquam tenesmo coniuncta. — Plerique de dolore querebantur vel in regione umbilicali, vel in regione iliaca dextra sedem habente, vel diffuso supra totum abdomen, qui quidem dolor pressione semper augebatur, in iis vero aegrotis, qui nullum sponte dolorem accusabant, premendo excitari poterat. Cibi desiderium exiguum; gustus ingratus. Lingua flavide obtecta, raro pura, humida, nonnunquam materia subfusca obducta, scissa, papillis ad apicem et margines prominentibus, elongatis, rubicundis. — Febris typum tenuit continuae remittentis, tempore pomeridiano aut vespertino exacerbantis, lucem versus plerumque sine ullo signo critico rursus de-

crescentis. In paucis casibus bis quotidie accessiones febriles exoriebantur, alter vespertino, alter matutino tempore, uterque cum horripilatione incipiens, quam calor sudorque sequebantur. Pulsus erat mollis, celer, duriusculus, interdum plenus, 90—120 ictuum. Urina normalis, clara vel subrubra. Cutis calida, sicca. Iam primo morbi tempore haud raro maculae rubrae, vel caeruleae, lenticulares in pectore solo aut in pectore una et in brachiis apparuere. — Somnus interruptus nec non insomniis terribilibus turbatus. Tristitia magna. Vires omnibus plus minusve deficiebant, ita ut multi haud sine difficultate in lecto se erigere valerent. — Interdum complicatio cum meningitide. Ibi facies rubuit, caluit; patiebantur dolorem capitis, praecipue sincipitis. Pupilla coarctata. Strepitus et lux nisi cum molestia perferri poterant. Susurrus aurium, carotides pulsantes, visiones ante oculos. Alii typhomanici, alii fortiter delirantes, valde inquieti continuo in lecto se iactabant.

Nonnulli angina tonsillari afficiebantur. — Aliis subinflammatoria peritonaei conditio cum orrhymenitide lienis et ascitide supervenit.

Bronchitis rarius morbum comitabatur, semperque erat levis; tussis cum sputis albidis, tenacibus sine dolore.

Semel complicatio cum pneumonia adfuit, ubi sputa tenacia, cum sanguine mixta, et difficultas in spiritu ducendo pulmonem aegrotare indicabant. Haec complicatio letalis. —

In uno casu taenia cucurbitina, quae continuum vomitum, excreto demum una cum faecibus verme disparentem ciebat, morbi indolem aliquo modo obscurabat. —

Postquam symptomata modo descripta fere per hebdomadem steterunt, morbus ingravescere solet. Iam non amplius querelas faciunt aegroti de dolore capitis; solummodo si eos e lecto sese erigere iubes, vertiginem sentiunt. Auditus fit difficilis. Facies modo rubet, modo terrea pallescit. Apparent deliria septimo vel octavo die, nunquam furibunda,

plerumque sopore interposito. Fere in omnibus magna somnolentia, e qua tamen altius allequendo eos expergefacere licet. Ubi quis se in delirio duplicatum putavit, exitum infaustum praesagire poteras. — Pulsus frequentia augebatur: vel centies tricies per minutam micabat; erat mollis, debilis, saepe inaequalis, irregularis, intermittens. Cutis aeque sicca et fervida ac antea. Sitis ardens. Urina turbida evadit, parca, rubra vel e fusco nigrescens, saepe foetida, materiam floccosam continens. Lingua raro humida, albide mucosa; saepius fusca vel nigra materia obducitur, arescit; interdum aphthis obsita. Haud raro occurrit, ut aegroti linguam aut non protendere valeant, aut ex ore promotam retrahere obliviscantur. Siccescunt labia et nares, simulque cum dentibus fuligine conteguntur. Abdomen fit tensum, durum, obscure dolorificum. Ubi antea constipata alvus, iam sponte laxatur, quin tamen faeces saepius quam bis vel quater in diem deponantur. Sunt autem faeces aquosae, flavescentes, interdum mucosae, in infantibus griseae, vel ex griseo viridescentes, molles. Saepe ascarides cum levamine excreti. — In tribus casibus sanguis una cum faecibus depositus; ibi morbus semper infaustum habuit exitum. — Sponte aegroti de dolore in abdomine non querebantur; in multis tamen fortiter premendo in regione iliaca dextra excitabatur. Nonnullis abdomen meteoristice inflatum. — Multis tussis oborta sicca vel cum sputis albidis, tenacibus; respiratio brevis, frequens evadebat; rhonchus sonorus et mucosus audiebatur. Affectio pectoris bronchitidi similis, saepe in stadio convalescentiae exorta, hanc multum retardabat, nunquam tamen aegrotum in periculum adducebat. — Vires fere omnibus languescebant; nonnulli non valebant se in lecto erigere. — Quibus priore stadio exanthema effloruit, iam palluit. In plerisque nunc demum purpura exorta, pectus, abdomen et extremitates occupans, quae postquam per decem usque ad quatuordecim dies stetit, in

desquamationem transibat. Ceterum desquamatio vel exfoliatio epidermidis nonnisi Octobre et Novembre, non priore tempore observata. Multis nulla in cute eruptio apparuit.

In letalem exitum morbus plerumque fine secundae vel tertiae hebdomadis vertebatur. Sopor continuus et profundior, e quo aegrotos fortiter modo alloquendo excitare licet. Deliria fortiora. Cutis sicca et ardens. Pulsus frequens, parvus, debilis, interdum dicrotus aut intermittens. Respiratio difficilior. Meteorismus adauctus. Alvus ante laxata iam pertinaciter adstricta. Urinam involuntarie in lectum mittunt. Postremo extremitates frigidae; pulsus frequentissimus, debilis; subsultus tendinum, respiratio stertorosa, mors quieta.

In uno brevi ante mortem decubitus gangraenosus formabatur.

In priore stadio morbi unus tantum obiit, isque pneumonia affectus.

Exitum in valetudinem, quae in levioribus casibus fine secundae hebdomadis, in maiore autem aegrotorum numero quinta vel sexta septimana sequebatur, nulla crisis solemnis indicabat. Ibi delirium leve aut nullum. Affectio capitis remittebat paulatim. Diarrhoea modica, sensim decrescens. Quibus antea alvus constipata, ii iam maioris consistentiae faeces bis terve quotidie deponebant, indeque magnam percipiebant ameliorationem. Somnus quietior; sopor non fortis; urina sedimentosa, dein limpida; cutis mollior, minore aestu; in paucis sudor criticus. — Multis epistaxis sanguinis e naribus cum magno capitis levamine et remissione febris evenit; sanguis guttatim quidem plerumque fluebat, sed effluxu saepius repetito. Erant quibus materia aquosa, acris e naribus profluxa insigne levamen adferret.

Convalescentia in iis, qui graviori morbi gradu affecti erant, diutius se protrahebat; nullae tamen crises postumae

observatae, furunculos si exceperis, qui gregatim in fronte nonnullis provenerunt.

Ad contagionem quod attinet, referre liceat, quod in iis familiis, quarum socii omnes morbo corripiebantur, fere semper petechiae aderant, et quod in hisce familiis ab initio unus tantum aegrotabat, reliqui vero morbo per unam aut duas hebdomades durante. — Numerus aegrotorum hoc anno, praecipue Septembre, Octobre et Novembre, fuit tantus, ut vere morbum diceres epidemicum.

Cura. Locales sanguinis detractiones fere omnes aegrotos iuvabant, modo in capite, modo in abdomine institutae. Venaesectio ab initio iis, qui vel plethoricae constitutionis, vel fortiori meningum inflammatione affecti erant, bene conduxit. Seriore morbi decursu facta, praecipue repetita, statum nervosum gravissimum adduxit. Maximae utilitatis erat emeticum, quod vel ex Ipecacuanha sola vel ex Ipecacuanha cum tartaro stibiato constabat, morbi principio porrectum. Dein Infusum radicis Ipecacuanhae bene succedebat; nonnunquam opium. Sinapismi, vesicantes et epithemata frigida capiti applicata multum praestiterunt. — Camphora, liquor ammonii carbonici etc. nil unquam auxilii tulerunt.

1 8 3 0.

Febres rheumaticae initio huius anni frequentes mox febribus catarrhalibus et morbillis locum dedere. Aestate febres gastricae sequebantur, haud raro phlegmhymenitide enterica coniunctae. Mensibus Augusto et Novembre febris nervosa aliquoties observata, eadem plane forma, qua anno praeterito apparuerat. Febres catarrhales, bronchitides et pleuritides continuo tamen praevalebant. Memoratu dignus est casus, complicatione cum hepatitide insignis, in stadio convalescentiae sub finem tertiae hebdomadis exorta, quae dolore in regione hypochondriaca dextra pressu adaucto, ictero et

vomitu cognoscebatur, hirudinibus, calomelane, unguento cinereo infricato et vesicante sanabatur.

1831.

Hieme febres rheumaticae et pleuritides. Accedebant bronchitis, pertussis et febris gastrica, quae inde a mense Martio usque in mediam aestatem praevalentes, iterum febribus rheumaticis locum reliquerunt. Hae pleuram et peritonaeum, autumni vero tempore cerebri quoque integumenta occupabant. Febres nervosae Augusto usque in Novembrem frequentes aderant. Decembre vero et Ianuario 1832 febres rheumaticae et bronchitis redibant.

Horrore praegresso cephaloea et vertigo homines invasit; accedebant susurrus aurium, scintillatio, pulsatio capitis, oculi splendentes; rubor faciei, interdum cum pallore alternans. Unicus iam ab initio delirabat. In abdomine et regione quidem epigastrica dolorem querebantur, haud constanter pressu adauctum; interdum dolor in abdomine defuit. Multi vomituritionibus vexabantur; pauci materiam mucosam aut aquosam vomebant. Alvus omnibus pertinaciter obstructa. Lingua vel humida, albida, cum marginibus rubris, vel fusco intectu praedita, sicca. Urina rubra vel fusca, turbida. Cutis sicca, fervens. Pulsus duriusculus, plenus, interdum parvus, 80 ad 110 ictus per minutam micabat. Febris continua remittens cum exacerbatione vespertina. Sitis magna et plerumque lassitudo membrorum.

Iam prima septimana multis erumpebant stigmata laete rubra, non plane orbiculariter rotunda, tanquam e morsu pulicis, in pectore et brachiis. — Haec symptomata continuabantur usque ad sextum vel octavum morbi diem, ubi dolor capitis quidem evanuit, vel saltem remisit, vertigo vero et obnebulatio capitis increverunt. Carotides vehementer pulsabant: facies rubuit caluitque: accedebant somnolentia et deliria blanda, mussitantia. Anxietas magna. Haud

raro subsultus tendinum; aegrotique floccos legebant. De dolore neque abdominis neque alius cuiusquam organi querelas faciebant. Plerisque surditas obvenit, quae in levioribus modo casibus deerat. Alvus aut adstricta, nec nisi clysmatibus vel interna medicina provocanda, aut bis terve aegrotis per diem solvebatur; intercurrebant autem in his quoque dies, quibus alvus nulla reddebatur. Faeces erant fuscae, molles, raro aquosae; in nullo aegroto diarrhoea continua. Nonnulli, quibus priore stadio abdomen dolore vacarat, iam sentiebant dolorem; alvus tamen in hisce aegrotis minime laxa. — Lingua fusce obtecta, sicca, rarius humida, albida. Pulsus parvus, frequens, non durus; exacerbationes quotidianae vespertinae. Urina parca, fusca. Cutis sicca; interdum aliquid sudoris aquosi provenit. Petechiae pallidiores factae; nonnullis hoc demum tempore exoriebantur. In aliis nullo tempore neque exanthema neque desquamatio observabatur. Respiratio brevis, frequens. Vires multum diminutae.

Morbus fere semper in valetudinem exibat; in levioribus casibus iam sub finem secundae hebdomadis, sudore universali critico et urina sedimentosa exortis. In iis, qui gravius aegrotabant, symptomata sensim imminuebantur; surditas et somnolentia remittunt; somnus reficiens aegrotos recreat; cutis et lingua humidiores fiunt. Nonnullis aliquantum sanguinis e naribus effluens magno fuit levamento.

Stadium convalescentiae brevius quam annis praegressis. Tertia vel quarta hebdomade fere omnes restituti.

Exanthema secunda vel tertia hebdomade desquamabat; in tertia hebdomade interdum exfoliatio epidermidis observata est, ubi nullum antea exanthema animadvertere licuerat.

Quibus letalis exitus accidit, ii plerumque fine secundae, raro tertiae septimanae typhomania altiori obruebantur; deliria frequentiora; saepe magno cum clamore expa-

vescunt; faeces atque urinam involuntarie mittunt. Calor ruborque capitis increscit; lingua siccior magisque fusca evadit; fuligo dentes, nares et labia occupat; dentibus strident; surditas fit tanta, ut interrogati altaque voce compellati aegroti nil respondeant. Alvus saepius redditur, fusa. Respiratio brevior. Pulsus duriusculus, debilis, maxime frequens. Tandem viribus continuo decrescentibus moriuntur.

Complicatio primo stadio frequens erat meningitis; semel pleuritis, ubi dolor in pectore, alte spiritum ducendo adauctus, tussis vero nulla aderat. Unus eorum, qui graviori morbi gradu affecti erant, hydrope ascite simul laborabat, sub decursu febris nervosae exorto; tamen sanatus est.

Cura. Venae multis aegrotis cum successu secabantur; saepe repetitis venae sectionibus opus erat: tamen nonnisi ab initio morbi indicatae erant. Praeterea locales sanguinis detractiones, in capite praecipue et abdomine; epithemata frigida capiti imposita; sinapismi; vesicantes ad nucham; clysmata. Interne calomel, natron sulphuricum, nitrum et tartarus stibiatus cum bono eventu dabantur. Ubi alvus fusa, Infusum radicis Ipecacuanhae. — Multis aqua oxymuriatica conduxit. — Remedia irritantia, moschus, valeriana, china semper nocuerunt.

1832 et 1833.

Initio anni 1832 febris rheumatica, bronchitis, phlegmhymenitis gastrica. Eodem tempore febris nervosa occurrit, complicata cum catarrhali pectoris affectione. Praeter solita typhi phaenomena tussis sicca vel cum sputis tenacibus; sensus oppressionis, raro dolor in pectore. Capitis symptomata minora. Ubique exanthema effloruit, quod secunda vel tertia hebdomade desquamationem inibat. Alvus continuo dura. Deliria et surditas in paucis modo aegrotis adfuerunt. Potius sopor. —

Durities morbi erat per duas hebdomades. — Crises per sudorem.

Cura per hirudines pectori applicatas, ammonium muriaticum et calomel.

Bis complicatio cum hydrope ascite observabatur.

Febris nervosa occurrebat usque in mensem Maium; tum bronchitides et pneumoniae. Iulio et Augusto febris gastrica et peritonitis frequentiores. Has Octobre et Novembre febres gastricae rheumaticae sequebantur, et iam febris nervosa denuo apparuit, qua tamen licet usque in Februarium 1833 perdurante, exiguus modo hominum numerus infestabatur. Reliquo huius anni decursu, primum rheumatismis, dein morbo, Influenza dicto, dominantibus, febris nervosa in clinico nostro non amplius observata.

Horror homines cum calore alternans invasit; dein tussis, rhonchus mucosus, sudores nocturni; lingua flavide obtecta; anorexia; alvus constipata; febris; omnino symptomata febris gastrico-catarrhalis. Octavo vel decimo die sponte vel remedio laxante porrecto diarrhoea et dolor in regione epigastrica, sub pressu increscens. Somnulentia et febris graviores. Caput calet; facies rubet; carotides pulsantes; aegri tarde respondent; linguam siccam ex ore protractam repetito demum hortatu retrahunt. Cutis sicca; urina parca; febris circa meridiem exacerbans vespertino tempore remittit. Faeces pultaceae, sordide flavae, vitelli ovorum colore, mediocri copia redduntur. Exanthema nullum. Symptomata pectoris eadem. Die decimo quinto vel decimo septimo, sudore universali critico, urina sedimentosa, somnoque quieto provenientibus, conditio aegrotorum multum melioratur. Vires in diem crescunt. — Hebdomade quarta desquamatio furfuracea, praecipue in antibrachio et femore; capilli in capite fluere incipiunt. — Quinta hebdomade aegroti plane restituti.

In paucis, qui obierunt, complicatio aderat cum pneu-

monia vel cum pleuritide exsudativa, quae dolore, percussionis sono fusco, dyspnoea tussique sicca cognoscebatur. — In uno aegroto senescente, qui graviter hoc morbo afflictus periculum, licet cum magna virium iactura, iam superasse videbatur, stadio convalescentiae incipiente aphthae gangraenosae oris atque pharyngis exoriebantur, neque exitus letalis poterat prohiberi. Sectio cadaveris neque in intestino nec in alio quoquam organo interno destructionem manifestabat.

1 8 3 4.

Hieme et vere genius morborum rheumatico-catarrhalis; morbilli, pneumoniae, bronchitides. Intercurrebant aliquot febris nervosae casus. Aestate vero febris gastrica et gastrico-nervosa apparuit, quae Iulio praecipue observata, Augusto disparuit, et mensibus Novembri et Decembri iterum recurrens, usque in Februarium infestare homines continuabat.

Accessionem morbi indicabat sensus molestiae et gravitatis; dein vertigo et lassitudo membrorum. Color faciei modo rubicundus, modo pallidus. Appetitus ciborum deficiens. Lingua glutinosa et albicera materia obducta, e qua saepe parvae papillae rubrae sparsim prominent; in extrema apice et marginibus pura. Alvus primo tempore adstricta, raro fusa esse solet. Pressus in regionem epigastricam dolet. Pulsus aut normalis aut iusto frequentior, mollis, raro duriusculus; urina normalis; cutis sicca, fervida. — Saepe symptomata febris gastricae, nausea, vomitus materiae flavae, aquosae, sensus oppletionis circa praecordia accedunt; saepe quoque haec symptomata praecedunt. Sub quintum vel sextum diem levi horrore praegresso, quod interdum iam principio morbi fieri solet, febris continua remittens exoritur, quotidie semel vel bis, vespere scilicet et mane exacerbans. Simul symptomata capitis augentur. Dolorem in abdomine aegroti raro queruntur; pressione

tamen in regione umbilicali et iliaca provocatur, in iis praeprimis, quibus alvus adstricta ab initio fuit. Iam vero alvus aquosa aut mucosa fit. Mense Iulio faeces pultaceae, fuscae, rarius aquosae erant. Novembri vero et hiemali tempore eiiciebatur foetens, diluta atque flava materia, quae postquam aliquantum stetit, faeculentum ostendit sedimentum, supra quod humor fere pellucidus est, cuius in superficie subfuscae particulae tanquam nebula suspenduntur. Faeces quater, quinquies vel sexies quotidie deponuntur. Ubi vero in summo incremento morbus est, intra 24 horarum spatium duodecim ad viginti exinanitiones consequuntur. In uno aegro intra 24 horas vel quadragesies quater alvus soluta. Saepe tenesmus accedit. Nonnunquam sanguis faecibus inerat, rubri vel nigri coloris. Haud raro ascarides in faecibus inventi. — Febris exacerbationes non solum ingravescunt, verum etiam longius perdurant, ita ut una ab altera fere excipiatur, imo etiam altera, prima adhuc robore quodam haerente, iam incipiat. Obtrudunt fere sopor et deliria, e quibus tamen aegrotum alloquendo suscitare licet. Iactant aegroti brachia et crura, aut tranquilli oculis semiapertis, statu quodam soporoso, supinum cubant, nec sine magna virium contentione sese erigere queunt, facileque in infimum lectum ad pedes delabuntur. Praeterea etiam auditus gravitas. Dentes, labia, cavitas oris sordido fuscoque muco obtecta sunt, cuius tanta est tenacitas, ut, si os aperitur, compluria fila mucosa extendantur. Increscente cutis fervore nares arent sitisque augetur. Lingua arida, scissilis, scabra, cuticulis fusce fulgentibus obtecta, nonnunquam etiam pura, magnamque carnis crudae similitudinem prae se ferens. Tanta autem est linguae imbecillitas, ut non sine labore aegrotus eam extendat, extensamque retrahere saepe obliviscatur. Pulsus hoc stadio multum variat, frequens, mollis, celer, vacuus, undulans. —

Ubi vero summum morbus incrementum nactus est, copia

alvorum valde adaucta; deliria atque sopor in diem crescunt; aegri stercoris et urinae incontinentes fiunt; vires magna cum celeritate consumuntur; cutis aridissima; pulsus frequentissimus; in regione ossis sacri cutis decumbendo plerumque exulceratur. Abdomen meteoristice inflatur. Apparent maculae caeruleo atque rubicundo colore, leviter per cutem fulgentes, in pectore, collo et abdomine dispersae, forma rotunda, unius lineae diametro. Saepius etiam apparent parvae, subalbidae, pellucentes, in fundo haud rubro gregatim constantes vesiculae, quae incipientes ab iis, ubi antea emplastra vesicatoria erant applicata, locis mox per crura, abdomen, pectus, collum denique manant.

In stadio acmes, saepe demum morbo decrescente, tussicula exoritur, cum sputis tenacibus, spumosis, rhoncho mucoso et sibilante; interdum pneumonica symptomata in hac pectoris affectione exstiterunt. — In puella 18 annorum tum sanguis cum faecibus excretus, tum pneumoniae symptomata aderant, dolor in pectore, respiratio alta, dolens, tussis, sputa albida, fuscae materiae globulis immixtis, et striis sanguineis pertractata, mensibus simul parce fluentibus; quae symptomata venae sectione revulsoria devicta. —

Postquam haec conditio per aliquot dies adfuerat, aut mors sequebatur, idque sopore continuo perdurante, viribus plane exhaustis, et nonnunquam constipatione alvi exorta; aut in meliorem statum morbus mutabatur. Ani profusiones bis terve singulis diebus observantur; deiectio minus aquosa magisque pultacea evadit. Nonnunquam tarditas alvi exoritur, nec nisi clysmatibus alvus ducenda. Lingua humescere incipit; mucus illam obtegens resolvitur; urina fit turbida aut flava, et sedimentum mucosum, flocculentum deponit; sitis evanescit; pulsus minus frequens et mollis evadit, cutis madescit; interdum sudores locales et universales prorumpunt; maculae evanescunt; vesiculae illae arescunt; epidersim defurfuratione dissolvitur.

Sopor atque deliria remittunt, interdum epistaxi sanguinis e naribus exorta; somnus fit reficiens. Auditus gravis tardius discedit. Queruntur aegri solummodo de magna dedolatione membrorum. — Convalescentia plerumque protracta. Quanquam diaeta lauta et roborante utantur aegri, vires tamen lente redeunt. Usque in sextam hebdomadem tenuis alvi deiectio bis terve quotidie perdurat. Vitio diaetetico vel refrigerio libenter diarrhoea, concitatio pulsus, adeo deliria recurrunt. — In nonnullis usque in octavam hebdomadem pulsus frequentiam 120—130 ictuum retinuit, parvusque restabat.

Primo stadio interdum pectoris affectio praevaluit bronchitica vel pneumonica, praecipue in infantibus, quae fere semper letalem exitum adduxit.

Sectio praeter ulcera intestinalia in nonnullis infantibus hepatisationes pulmonum dedit.

Cura. Initio morbi emeticum, praesertim si symptomata febris gastricae aderant, multum iuvabat. Contra diarrhoeam solutio gummi tragacanth., Infusum Ipecacuanhae, clysmata amylacea, et in aegrotioribus plumbum aceticum, ($^1/_3$ gr. omni trihorio) cum successu adhibebantur. Locales sanguinis missiones saepe in usum vocabantur, universales rarissime. Praeterea sinapismi, vesicantes, ablutiones. — Pectoris affectiones cucurbitis, vesicantibus et ammonio muriatico vincebantur. *)

1835.

Usque in Februarium dothienenteritis; dein rheumaticae affectiones serosarum pectoris et abdominis frequentiores. Mense Iulio febris gastrica et dothienenteritis rediere, quae mox Septembri disparentes, febribus catarrhalibus et rheu-

*) Vid. L. Jung, Diss. de dothienenteritide eiusque plumbo acetico sanandi ratione. Bonnae 1835.

maticis, pertussi et bronchitidi cesserunt. Novembre et Decembre febris nervosa iterum rediit.

Incipiebat autem morbus vel cum symptomatis gastricismi, quibus octavo circiter die febris et delirium se iungebant; aut quod rarius accidit, arachnitidis signa praegrediebantur. — Afficiebantur aegri dolore capitis pungente, vertigine et lassitudine membrorum. Somnus inquietus, pavoribus turbatus; facies rubet; ardor tòtius corporis, saepe cum sudore partiali aut universali, non recreante, se coniungens.

Desiderium cibi deest. Interdum nisus ad vomendum; lingua albide obtecta, praecipue in posteriore parte, ad margines et apicem rubra, humida. Dolor plerumque adest in regione umbilicali; alvus a principio laxata, tenuis, fusce colorata. — In nonnullis pectoris affectio catarrhalis. Pulsus 80—85 ictus habet, interdum iusto tardior. — Hisce symptomatis modo ingravescentibus, modo decrescentibus, octavo circiter die delirium exoriri solebat; deliria fuere blanda, noctu praecipue frequentia; sunt tamen aegri, quibus nulla deliria erumpant, qui taciti, soporosi in lecto decumbant, interrogati lente quidem sed recte respondeant. Aurium sensus plerisque obtusus; oculorum splendor imminutus; bulbi trahuntur; manuum tremor et concussio levis. Lingua albide obtecta, interdum ad radicem fusca, sicca, aspera. Labia squamis subnigris conspurcata; nares obturatae. Dolor in abdomine nullus, pressu tamen concitandus. Alvus quater, adeo duodecies quotidie soluta, raro adstricta. — In uno aegroto qui continua alvi constipatione laborabat, nihilominus ulcera intestini magna copia reperiebantur. — Faeces e viridi flavae, materiem vitello ovorum similem continentes, aquosae. Interdum sanguis inest, sed non in quavis alvi deiectione; uni octo ℥ sanguinis abiere, quin ullus vel salutaris vel nocuus eventus sequeretur. Abdomen fit tensum. Urina vel e rubro fusca, vel lactea, iumentosa. Pulsuum summa variabilitas, ut arteriae nunc satis plenae

atque aequales, post breve tempus exiles, intermittentes appareant. Cutis humida, calida. In collo et pectore vesiculae parvae, lenticulares, limpido impletae fluido apparent. Seriore tempore petechiae quibusdam efflorescunt. Interdum eodem tempore miliaria et petechiae adsunt. Tussis perdurat; sputa mucosa exscreantur; rhonchus sibilans et mucosus auditur. Delirantes interdum dolorem in pectore queruntur. —

Plerique aegri levius modo aegrotabant. Nonnulli fuerunt, in quibus alvo semel bisve quotidie soluta, linguaque per totum morbi decursum humescente, morbus nonnisi magna contra quaevis indifferentia, imbecillitate virium, et febri sese manifestabat; quae conditio per 3—5 hebdomades continuata tardissime evanescebat.

Cum vero maxime increvit morbus, hocce fine 2, 3 vel 4 hebdomadis fieri solebat; increscit typhomania; respiratio frequens, anxia, difficilis; oculis semiapertis super dorso decumbentes continuo mussitant. Nec desunt levia convulsionum vestigia, tendinum subsultus tremorque artuum. Lingua plane sicca evadit, papillis in media et posteriore parte valde prominentibus, asperis. Iam diarrhoea adaugetur; faeces aquosae, fuscae, sanguine dissoluto mixtae, olidissimae una cum urina turbida vel pallida involuntarie deponuntur; pulsus celeritate et debilitate increscunt; cornea interdum quasi collapsa; facies ex cinereo pallida in rugas collabitur. Sub finem morbi sudores viscidi, frigescentes cutem undique perfluunt; meteorismus exoritur; subsultus tendinum frequentiores; respiratio stertorosa; mors sine convulsionibus.

Interdum ante mortem diarrhoea plane sistitur. — Intrare autem solebat exitus letalis tertia vel quarta hebdomade. Semel decima demum hebdomade aegrotus obiit, qui viribus in gravi hoc morbo superando exhaustis in febrem hecticae similem demersus erat. Sectio ulcera intestinalia ex parte iam cicatrisata dedit. —

Crisis letalis noma occurrit in puero sex annorum; fine

2 hebdomadis gangraena in posteriore genae sinistrae parte exstitit, prius membranam mucosam oris, quam externas partes exulcerans: quae dum magna celeritate evolvebatur, infans hucusque alta typhomania obrutus conscientiam sui recepit, eamque ad mortem usque servavit, quae secunda post exortam gangraenam hebdomade consequebatur.

Qui sanantur, raro manifesta crisi salvantur, sed plerumque initio tertiae vel quartae hebdomadis typhomania et auditu difficili lente decrescentibus, somno ciborumque desiderio redeuntibus, nec non sub repetitis sudoribus vaporosis aut excretione urinae densam albidi coloris nubeculam continentis, convalescunt. — Nonnullis quoque pustulae pure impletae, magna copia in humeris et collo eruperunt. In uno abscessus magnitudine ovi anserini in superiore femoris parte pronatus, e quo magna puris copia provenit.

Alvus tempore convalescentiae pertinaciter obstructa esse solet.

Semel complicatio cum peritonitide adfuit, quae letalem exitum adduxit; dolor ibi vehementissimus abdominis, ne levissimum quidem tactum ferens, complicationem indicabat. Praeterea complicatio cum pneumonia occurrit, haec quoque cum exitu infausto.

Sectio. Membrana mucosa intestini valde rubefacta; in ileo et coeco variis locis exulcerata. Ulcera parva, rotunda, usque ad membranam muscularem penetrant. Margines inaequales, laceri, elati, callosi. Fundus nonnisi in aegrotis seriore morbi stadio defunctis, fungositatibus rubris irregularibus praeditus. In uno cicatrices ulcerum inveniebantur; ibi membrana mucosa regenerata quidem, sed singulari rubore insignis. Semel ulcera gangraenosa reperta. Villi ilei valde evoluti. Glandulae Peierianae non tumentes. —

Glandulae meseraicae tumefactae, rubentes. — In eo, qui peritonitide affectus fuerat, praeter ulcera intestinalia peritonaeum rubre punctatum inveniebatur, et cum intestinis

concretum, multis membranis falsis ei adhaerentibus. Serosa intestini tenuis rubefacta, fibrinaque exsudata obtecta. Saccus peritonaei flocculentum liquorem continuit. —

In pulmonibus mollities rubra, et infiltrationes purulentae vesiculares. In bronchis magna copia muci.

In ventriculis cerebri parva copia seri limpidi. In membranis cerebri nonnunquam sanguinis congestio.

Cura. Multos iuvit emeticum ex radice Ipecacuanha, initio morbi porrectum. Dein Infusum Ipecac. et cucurbitae abdomini applicatae. Ubi diarrhoea fortis, plumbum aceticum cum celeri alvorum sedatione. — Ubi inflammatio meningum, cucurbitae, epithemata frigida et derivantia.

1 8 3 6.

Primo huius anni semestri dominabantur affectiones catarrhales et rheumaticae. Mensibus aestivis febris gastrica et dysenteria, simulque aliquot febris nervosae casus. Mox vero character morborum iterum catarrhalis et rheumatico-inflammatorius evasit; pectoris et abdominis organa principes morborum sedes exstiterunt. Febris nervosa iam multo frequentior quam aestate, neque solum per ultimos huius anni menses, verum usque in Februarium sequentis anni observabatur, nec cum iniuria morbum fuisse epidemicum diceres.

Incepit haec febris cum symptomatis gastricis, lassitudine, anorexia, sensu oppressionis circa praecordia, nausea, interdum vomitu, lingua muco albicerato obtecta, obnebulatione capitis, aurium susurru, animique anxietate. — Mensibus Novembre et Decembre plures obvenere casus, ubi symptomatis bronchitidis et pleuritidis, dolore pectoris in spiritu ducendo adaucto, dyspnoea, rhoncho sibilante et mucoso, tussi praegressis alvoque simul tarda, subito praecipue remedio salino (e. g. nitro, tartaro stibiato) porrecto, dolor in regione iliaca, diarrhoea viriumque defectus exoriebantur, pectoris affectione exinde multum imminuta. —

Genae modo rubent, modo pallescunt; dentibus aegri strident; hinc inde tendines subsiliunt; turbantur insomniis; nonnulli blande delirant. Alvus 3—8 quotidie solvitur, tenuis; faeces sunt aquosae, spumosae vel flavide mucosae, interdum cum levamento capitis deponuntur. Tactus in abdomine multum dolet; nonnulli sponte dolorem ibi accusant. Plerisque iam hoc tempore pectus levi catarrhali affectione corripitur. Pulsus frequens, parvus, debilis, interdum duriusculus. Ad noctem symptomata augentur. Calor cutis interdum naturalem non superat, saepe urens, siccus. In aliis sudor viscidus sine ullo levamine comparet. — Interea symptomata gastrica disparent; modo diarrhoea remanet; augetur saepius numerus alvorum usque ad 10 adeo 20 excretiones intra 24 horarum spatium. Interdum constipatio et diarrhoea alternantur. Raro alvus adstricta, ibique critica existere alvi depositio solet. Faeces flavae aut fuscae, aquosae, spumosae, nonnunquam faeculentae, pultaceae; continent saepe ascarides, raro sanguinem coagulatum et materiam puriformem. Dolor in regione iliaca dextra, fere semper pressu excitatur. Abdomen molle vel tensum. Lingua muco tenaci, glutinoso, fusco oblinita, marginibus rubris, madet vel in medio siccescit. Susurrus aurium augetur. Somnus inquietus, deliriis blandis, raro fortioribus interruptus. Alii continuo sopore tenentur, repetitis modo quaestionibus tarde respondent. Auditus difficilis evadit. Tussis cum sputis tenacibus eadem; rhonchus sibilans supra pectus diffusus auditur; respiratio tamen parum impedita. Pulsus mollis, celer, interdum irregularis; tempore remissionis 85, in exacerbatione, quae vespertina solet esse, 100—120 ictus habet. Urina aurantiaca, pellucida, aut cum nubecula albida, flocculenta et cuticula pingui. Cutis saepius madet quam siccescit. Neque petechiae, neque aliud exanthema, neque etiam desquamatio in convalescentia observabantur.

Haec conditio usque ad finem 2 vel 3 hebdomadis per-

sistit; tum vero aut symptomatis primariis, nempe deliriis vel soporoso statu crescentibus, viribus deficientibus, faecum liquidarum, foetentium in lectum secessu, ventris meteorismo, floccorum venatione et dyspnoea insurgentibus, respiratio stertorosa et mors subsequitur; — aut aegroti tarde valetudinem recipiunt; madescit lingua; frequentia alvorum sistitur; aurium susurrus, surditas et sopor imminuuntur; increscunt pulsus; cutis humida, mollis evadit, nullo tamen sudore critico prorumpente. — Convalescentiae verum stadio, quam affectio pectoris saepe multum retardat, interdum tam largi copiosique sudores eveniunt, ut agaricus larix adhibendus esset.

Praeter furunculos nonnunquam prorumpentes nullae metastases observatae.

Sectio. Vasa cranii raro sanguine impleta; ventriculi cerebri interdum aliquantum liquoris serosi continent; semel exigua fibrinae exsudatio inter laminas piae matris reperta.

Pulmones sani; semel pars eorum sanguine impleta. Bronchi muco pleni. In cavo pleurae et pericardii interdum parva copia serosi liquoris. Cor flaccidum. Intestinum tenue variis locis, praesertim in inferiore parte, inflammatum, sicuti et colon ascendens. In ilei parte inferiore et in coeco ulcera adsunt 1‴—1½″ magnitudine, rotunda aut irregularia; fundo inaequali, fungoso. Margines corrosi, dilacerati, torosi. Semel quoque ulcera in processu vermiformi. Uno in casu, ubi nullus sanguis cum faecibus abierat, inferior ilei pars sanguine nigro impleta inveniebatur. Intestina aere inflata.

Glandulae meseraicae tument.

Cura. Emetica raro adhibebantur propter diarrhoeam, quae usu eorum facile augebatur. Ubi a pectoris affectione morbus incepit, cucurbitae et tartarus stibiatus. Infusum Ipecacuanhae multum iuvit. Diarrhoea vel atrocissima usu plumbi acetici celeriter debellata; praecipue plumbum convenit,

ubi sanguis in faecibus; promovit vero haud raro constipationem, quae si longius durabat, clysmatibus remediisque evacuantibus removebatur. Validissima fuere vesicantia et unguentum e tartaro stibiato in abdomen infricatum. — Arnica, camphora, ammonium carbonicum tum inflammationem abdominalem excitabant, tum pectoris affectionem augebant.

1837 et initio 1838.

Hieme verisque tempore character morborum fuit catarrhalis et rheumatica. Influenza saepe occurrit. Aestate vero febres gastricae et biliosae frequentiores factae, absque hoc inde tempore febris nervosa observabatur, quae Octobre usque in Decembrem multos homines corripuit, et minore vehementia usque in Martium 1838 perdurans, maiorem aegrotorum copiam quam ullo annorum praecedentium morti dedit.

Mense Iulio erat plerumque febris gastrico-rheumatica, unde morbus originem duxit. Praeter dolores artuum trahentes querebantur aegroti de vehementi cephaloea, regionem frontalem aut temporalem praeprimis obsidente, de vertigine et horripilationibus calori fugaci alternantibus. Cutis fere continuo aquoso sudore diffluens. Sapor in ore ingratus, amarus; nausea, vomituritio, anorexia; interdum vomitus materiae biliosae; lingua ad radicem albide aut flave intecta, in marginibus rubre punctata, humida. — Aliis morbus cum summo virium languore incepit, qui aegrotantes lecto per dies necdum figit, donec aucta post paucos aegritudine iam gravissimo malo laborare observentur. Pulsus hic raro suppressus, sed frequens, plenus, tensus. Calores vagi, ita ut nunc facies intensius rubeat caleatque, mox pallescat, qui calores interdum partialibus et levibus sudoribus intersecentur. Urina normalis aut rubra aut fusca. Sitis magna. — In epigastrio modo sensus oppletionis, modo dolor sub pressu crescens. Alvus normalis, dura, saepe constipata; mox emetico sumto

fit frequens, aquosa. Raro primis diebus alvus fusa. — Pectoris affectio saepe ab initio provenit, aut catarrhalis: tussis levis cum rhoncho mucoso et sonoro; aut pneumonica: sputa aeruginosa, dolor et dyspnoea.

Progrediente morbo vertigo capitisque obnebulatio increscit; oculi lucem fugiunt; coniunctiva rubet; aegri somnolentia et sopore capiuntur; typhomanici fiunt; surditas obvenit; pupilla dilatata; loquela difficilis. Si alloqueris, non bene attendunt aegri. Lingua in radice albida vel fusca, sicca, apice forma triangulari rubra, difficulter nec non tremulans protenditur; interdum humida bene exseritur. Abdomen aliquid tumet, tenditur. Interdum nausea et vomitus. Dolor in scrobiculo cordis inque regione iliaca dextra pressu aut excitatur aut increscit; modo disparet, modo ingravescit. Fluidae alvi evacuationes durant, plerumque 4—7 quotidie; nonnunquam 12—23. Observandum tamen est, inde a mense Ianuario 1838 alvum priore tempore fusam secunda hebdomade obstipatam fuisse. Faeces olidissimae, flavae, aquosae, materiam albumini coagulato similem, saepe quoque sanguinem dissolutum continent. Haud raro ascarides insunt. Nocte frequentiores deiectiones quam interdiu. — Respiratio fit celerior; rhonchum sibilantem et sonorum supra pectus diffusum audire licet; tussiunt aegri sputaque albida, tenacia aut sanguine striata vel nihil exscreant.

Nonnulli dolorem in pectore fuscum, alii pungentem queruntur, spiritu profunde ducto aut provocandum aut augendum. Pulsus frequens, tensus, debilis, irregularis. Febris vespere exacerbat. Urina nunc flammea rubescens, nunc cruda, aquosa, nunc fusca, crassa. Cutis pergamena; aliis vero sudor viscidus cutem macerat, et peticulae ubertim in brachiis praecipue et in pectore comparent. Ad noctem symptomata manifesto augentur. — Nonnulli quibus hucusque pectus liberum fuit, iam tussi et dyspnoea afficiuntur. —

Ubi vero summum morbus fastigium nanciscitur, primum

vesica, dein anus foetidissimas faeces dormientibus elabi sinunt, mox vero vigilantibus insciis similia contingunt. Haud raro etiam lotii excretio intercipitur, et aucto vesicae urinariae volumine suspenditur. Aegri corpore fere plumbeo ad pedes delabuntur. Mussitatio sub somnis continua; deliria stuporque crescunt. Labia naresque fuligine nigrescunt. Lingua fit scissilis, lignea. Decubitus in regione sacrali plus minusve gangraenosi existunt; sudores glutinosi foetidique augentur. Succedunt ventris meteorismus et singultus, frigus extremitatum, mors. —

Interdum aegri adaucta pectoris labe, dyspnoea, tussi sicca, et rhoncho sibilante crescentibus, diem obeunt supremum. Moriuntur initio 3 vel 4 hebdomadis.

In puero 8 annorum noma crisem letalem effecit. Ibi symptomatis febris gastricae nervosae praegressis, iam secunda hebdomade stomacace oriebatur, in noma transiens; quae dum evolvebatur, symptomata nervosa imminuebantur, ita ut infans, quarta demum hebdomade obiens, ultimo vitae tempore mentis bene compos esset. Gangraena originem duxit ex gena; gingiva postremo correpta. —

Qui vero hoc ex morbo vel per auctam cutis tunc mollescentis et vaporosae transpirationem, lenesque aut copiosos sudores, per urinam foetentem, sedimentosam, vel per abscessus, vel modo minus patente restituuntur, illi per longum tempus amissas vix recuperare queunt vires, ac mente non minus quam corpore diutius hebescunt, praeteritorum cum difficultate recordantur et, secundum patrui mei observationes, singulari, lento et stridulo quodam vocis sono excellunt. —

Verti morbus solebat 3, 4 vel 5 hebdomade. Interdum furunculi, rarius herpes labialis tempore criseos exorta.

Iuvenis robustus, qui primum pneumonia et bronchitide gravi, venae sectione tractanda, correptus, symptomatis abdominalibus minore gradu evolutis, in febrem nervosam incidit, sub finem tertiae hebdomadis, ubi vita in summo pe-

riculo erat, decubitu in ambabus clunibus sat magni ambitus gangraenoso, abscessuque prope anum magna puris copia impleto paucis diebus post celeriter obortis, feliciter evasit, licet longa ei convalescentia subeunda esset. — Desquamatio cutis 3, 4 et 5 hebdomade saepe observabatur.

Convalescentia plerumque longe protrahebatur. — Alvi constipatio per multas hebdomades perseverare solebat. — Virginibus et mulieribus, quibus ante morbum menses reguariter fluxerunt, iam per quadrantis anni spatium eoque amplius non fluxere; pedum vero oedemate magnaque debilitate captis causae vel levissimae accessionem febrilem provocant.

Sectio. Sinus durae matris sanguine pleni; cerebrum normale.

Pulmones sani; semel mollities rubra inveniebatur, ubi ulcera intestini deerant. Membrana mucosa bronchiorum rubefacta, cuius ruborem detergere non licet. Bronchi muco impleti. — Cor flaccidum.

Membrana mucosa intestini tenuis grisea, vasa specie ramosa sanguine iniecta praebet. In ileo et ieiuno, praecipue autem ad valvulam Bauhini ulcera $2'''—1\frac{1}{2}''$ magnitudine, inaequalia, minora rotundae, maiora ellipticae formae, plerumque ex confluentibus ulcusculis exorta; marginibus crassis, eminentibus, rubentibus, torosis. Fundus vel glaber flavescens, vel ruber inaequalis, fungosus. In circuitu membrana mucosa et tela cellulosa subiacens indurata rubet. Etiam cicatrices ulcerum conspiciuntur. — In intestino crasso ulcera inveniebantur $2—3'''$ magna, rotunda, indurata.

Praeter ulcera saepe eminentiae lenticulares in apice flave coloratae, pure impletae animadvertebantur. —

Glandalae meseraicae fere constanter tumebant. — Semel noma in gena sinistra obvenit circuitu 2—3 digitorum. Destructio genam perforans usque ad gingivam ultimi dentis molaris penetraverat, musculum masseterem, buccinatorem,

ipsamque linguam ceperat atque os zygomaticum in mollitiem traduxerat, dentes vero fixos atque incolumes reliquerat.

Cura. Cucurbitae variis locis, modo abdomini, modo pectori, modo capiti applicatae. Pediluvia, sinapismi, vesicantia; ablutiones cum aceto. Emetica saepe quidem initio morbi porrecta, nec tamen semper bene conduxerunt; haud raro diarrhoeam fortem provocabant. Ubi diarrhoea, Infusum Ipecacuanhae et solutio gi tragacanthae. Plumbum aceticum solum vel opio coniunctum copiosam alvum quidem coercuit, saepe vero pectoris conditionem in peius mutavit. Chininum sulphuricum ad 1—2 ℈ in solutione gi tragacanthae quotidie datum felix interdum eventus sequi videbatur. — Ubi caput inflammatorie affectum, fomenta frigida et cucurbitae. — In decubitum praecipitatum tannicum *Autenriethii* adhibitum. In convalescentia china cum rheo, quae vero remedia inde ab mense Ianuario non amplius ferebantur, ne lichen quidem qui phlegmorrhagiae bronchialis residuae causa in usum vocatus statim inflammationem in pectore movit.

CURRICULUM VITAE.

Natus sum ego *Iulius Wolff*, Bonnensis, mense Octobre anni 1816, patre *Bernhardo Wolff* et matre *Henrietta*, e gente *Marx*, quam ante aliquot annos morte abreptam lugeo. Fidei mosaicae addictus sum. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Bonnense per novem annos frequentavi. Hinc testimonio maturitatis instructus autumno anni 1834 Almam petii Universitatem Frid. Guilelm. Rhenanam, ibique a Rectore Magnifico beato *Naeke* in civium academicorum numerum receptus, apud cl. *E. Bischoff*, t. t. Gratiosi Medicorum Ordinis Decanum Spectatissimum, nomen professus sum.

Quibus per quatuor annos et dimidium lectionibus interfui, hae sunt:

I. *Philosophicae:*

Logica et psychologia apud cl. *van Calker*; physica experimentalis apud beat. *a Münchow*; botanice apud cl. *Treviranus*; mineralogia apud cl. *Noeggerath*; zoologia apud cl. *Goldfuss*; chemia experimentalis, phytochemia et zoochemia apud cl. *G. Bischof*; Sophoclis Antigone apud cl. *Welcker*; elementa grammatices hispanicae apud cl. *Diez*; in recentiori tempore historia artis apud cl. *d'Alton.*

II. *Medicae:*

Anatomia et generalis et specialis apud cl. *Mayer* et cl. *Weber*, qui quoque in cadaveribus secandis duces mihi

fuere; physiologia apud beat. *C. Windischmann;* encyclopaedia et methodologia artis medicae, pathologia generalis et semiotice, pathologia et therapia morborum acutorum apud cl. *Naumann;* historia medicinae et toxicologia apud cl. *Harless;* materia medica, ars formulas medicas concinnandi, medicina forensis et epizootiae apud cl. *Ernest. Bischoff;* therapia generalis et specialis, anthropologia, de insania curanda, de educando medico, disputationes de casibus clinicis, apud cl. *Nasse;* chirurgia, doctrina operationum chirurgicarum, morbi oculorum, anatomia chirurgica, ars fascias applicandi, selecta clinices chirurgicae capita, apud cl. *Wutzer;* doctrina artis obstetriciae, de instrumentis obstetriciis, de morbis uteri et infantum, de luxationibus et ossibus fractis, apud cl. *Kilian.*

In exercitationibus practicis mihi duces fuere: in clinico propaedeutico et therapeutico cl. *Nasse;* in clinico chirurgico et ophthalmiatrico cl. *Wutzer;* in clinico obstetricio cl. *Kilian*, qui etiam in exercitationibus in phantomate instituendis mihi moderator fuit. Iam per octo menses chirurgi militaris munere, duce cl. *Kallmann*, in septima equitum cohorte fungor.

Quibus viris omnibus dilectissimis, optime de me meritis, gratias habeo semperque habebo quas possum maximas.

THESES.

1. *Secretio aeque ac respiratio confert ad sanguinis fabricam.*
2. *Vis musculorum non pendet a nervis.*
3. *Dolor ut signum inflammationis non constat.*
4. *Hepatis morbus ad icterum procreandum non necessarius.*
5. *In homine syphilide affecto eodem tempore adesse potest bubo syphiliticus et non syphiliticus.*
6. *Punctio vesicae urinariae supra arcum ossium pubis praeferenda est punctioni per intestinum rectum.*
7. *Resectio in articulis falsis sanandis ne primum sit chirurgi auxilium.*
8. *Partus in eclampsia parturientium accelerandus, minime praecipitandus.*
9. *Perforatio perinaei eius rupturae praeferenda est.*